Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

monasterij abbas est. Qui cum die quadam ingressus ecclesiam a puella thecam reliquiarum ut porcionem earum rogati amico prestaret, contigit et ipsum adolescentem cui oculus languebat in eadem tunc ecclesia adesse. Cuique presbiter porcionem quantam voluit amico dedisset, residuum dedit adolescenti ut suo in loco reponeret. At ille salubri instinctu admonitus cum accepisset capillos sancti capitis apposuit palpebre languenti et aliquamdiu tumorem illum infestum horum apposicione comprimere ac mollire curabat. Quo facto reliquias ut iussus erat sua in theca recondidit, credens suum oculum capillis viri dei quibus ad tactus erat ocius esse sanandum. Neque cum sua fides fefellit. Erat autem ut referre est solitus tunc hora circiter secunda diei. Sed cum alia quoque ut dies illa exigebat cogitaret et faceret, imminente hora ipsius diei sexta repente contingens oculum ita sanum cum palpebra invenit ac si nil umquam in eo deformitatis ac tumoris apparuisset.

Vita sancte Glodesindis virginis

TEMPORIBUS CHILDERICI REGIS FRANCORUM APUD HISTORICOS CELEBRATISSIMI IN GALLIA belgica que ex gente postea Francie nomen mutavit, virgo domini Glodesindis eximia satis nobili generis stemmate procreata, patre illustrissimo eodemque duce clarissimo cui vocabulum Wintro, matre Godila luce generositatis non dispari, ab ineuntis etatis ingressu multa virtutum dote insignis multisque exemplo in via castitatis futura vita ac moribus clara emicuit. Hec cum in domo parentum quo ad puellares annos excederet integre et sub omni esset educata diligencia, et iam tempus quo se dignis natalibus desponderi deberet accessit, iuvenem quendam nomine Oboleno a parentibus ex more sponsa decernitur, Christo vero se ubique protegente non minus corpore quam mente servatur intacta, sed quam semper mira in electis suis dei miserentis custodia. Cum tempore desponsionis exacto iuvenis virginem ut sit a parentibus suscepisset, domum cum grandi frequencia nupcias paratus deducit. Sed quia sancta virgo celesti sponso iam corpus et animam suam consecraverat, eodem forte predicto sponso consilio utique divinitatis iussu regio evocato, ad palacium iuvenis sine mora contendit. Quo cum pervenisset, multe nefarijs ei in gestis sceleribus, quantum in eum regalis est accensa severitas. Ita arta retrusus custodia annoque integro ibi se digno squalore confectus, eo exacto eductus iudiciali sentencia dampnatus capite detruncatur. Sic virginitas sancta, dum toto nisu carnali oblectacioni repugnat, cunctam glorie temporalis pompam nichili reputat, domino Christo quem omnibus rerum labencium delicijs preferebat prese dectante ei unum quod semper optaverat corde inheres et corpore leta et victrix de tocius iam damno corrupcionis triumphat. Nec sic quoque adverse potestatis defecere doli. Pater nece sponsi peroris audita puellam venerabilem rursus coegit ad thalamum. Illa quam sponsum Christum cordis medullis imbiberat totis nisibus resultare nec in eam labem virtutis

D xi kal. aprilis